

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
**ECCLESIA
PLANTATA,**
AD ORACVLVM PAVLINVM
I. Corinth. III, 6.

Nostrorum temporum causa instituta,

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
SEREN. PRINCIPE REGIO ET ELECT.

PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO,
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL.
ALVMN. REG. ELECT. EPORO & h. t. FAC. SVAE
DECANO,

RESPONDENDO TVEBITVR

EX D. LVTHERI CATHEDRA

D. APRIL. A. O. R. MDCCXI.

FRIDERICVS KARB, NOVISOLIENSIS HVNG.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.



DE ECCLESIA PLANTATA.

§. I.



Quando Africa, cui solenne semper fuit, ex veteri proverbio, aliquid novi excludere ac parere, olim ecclesiae puriori *Donatistas* obtrusit, tantum sane vulnus ipsi intulit, ut ei medendo non uno velut *Aesculapio* opus fuerit. Adeo enim pervicaciter tum a sincero coetu, tum inter se, discissi ac separati sunt homines illi maleferiati, ut totus orbis istis temporibus schismatis tam nefandi fructus satis infaustos perciperet. Sicut variis nominibus se distinctos volebant, aut saltem ab aliis distinguebantur: hinc *Circumcellionum*, *Montensium*, *Rogatistarum*, & alia inauspicata vocabula, in historia sacra atro carbone notanda: ita variis etiam rationibus operam dabant, ut odium, quod juratum adversus Catholicos atque Orthodoxos ceperant, declararent opere, & vindictam explerent, ita ut non modo innocentem sanguinem funderent, verum etiam locum, ubi orthodoxi essent commorati, post eorum discessum, ipsaque pavimenta *salsamento* abluerent & purgarent: ut *AUGUSTINUS Macrobio Donatistae*, in epistola ad eum scripta, severe exprobrat. Epistola CCLVI. p. 955. rebaptizarent ad se

desciscentes, & revelationibus jactatis omnem doctrinam contemptui haberent, quae non cum sua congrueret, & ecclesiam apud se solos remansisse, & puram quidem atque incontaminatam, nugarentur. Tantis tamen contradictionibus scatebat portentosa illorum doctrina, ut paucissimis ex illis ipsis inter se conveniret, solo crudelitatis ac superbiae vinculo inter se unitis, & re tandem eo delapsa, ut multi ex ipsis desperatione causae & conscientiae furis adacti, mortem sibi consciscerent, & manus violentas inferrent, quod itidem AVGVSTINVS, qua par erat, gravitate iis objecit & turpitudinem dogmatum ex inde demonstravit.

§. II.

Et gratulandum omnino fuit ecclesiae, Deoque adhuc grates persolvendae, quod illis temporibus duumviros illos AVGVSTINVM, atque OPTATVM MILEVITANVM, Viros praefidiis omnibus instructos, quibus ad profliganda foeda istorum dogmata, aususque reprimendos opus, dederit. Hi enim sobrie rem expendebant, & quid hinc damni veritati & quieti ecclesiae pararetur ac immineret, justa deliberatione percensebant, eosque tandem strenue, & eo, quo parerat, judicio, modestia & severitate mixto, aggredebantur; eoque rem, nunc cum universis, nunc cum singulis agendo, perducebant, ut si non plane mox extingveretur funestum schisma, remitteret tamen furor, multique poenitentia infausti erroris ducti ad frugem redirent, & ad puriorem coetum se reciperent. Ob quam felicitatem ecclesiae sancta gratulatione perfungitur AVGVSTINVS, quod non armis ac violenta persecutione, sed edictis quidem interpositis, satis tamen temperatis, plus vero, imo unice, divinae veritatis vi permulti eo fuerint deducti, ut Deo honorem & gloriam darent, lapsumque suum confiteren-

terentur. De quo argumento cum primis Epistola ejus XLVIII. & L. legi meretur, in qua postrema post plausus de multorum conversione, reliquorum etiam causa vorum ferium interponit. *Potens, inquit, est Dominus & misericors, quem quotidie rogamus, ut etiam coeteris det poenitentiam, & respiciant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, qui non quaerunt, nisi unde nobis calumnientur, & retribuunt mala pro bonis, quia nec intelligere noverunt, quem circa eos animam dilectionemque servemus, & quomodo velimus eos secundum Domini praeceptum, errantes, & perditos invenire.*

§. III.

Hoc oppido dolemus, istorum hominum errores subinde ex cineribus noviter fuisse resuscitados, & sub alio nonnunquam habitu iterum prodiisse. Meretur sane Donatistini ambitus operosius describi, ac mallet Cl. CALVOERIVM, Virum in hoc studii genere satis exercitatum, in fissuris Sionis ad delineandum ejus Systema paulo plus laboris, nisi hoc instituta brevitatis forte inhibuisset, contulisse; multa enim & praecipua judicia circa hanc historiae ecclesiasticae portiunculam reperias. Sufficiet nobis hoc observavisse, quod jamdudum observarunt pii Confessores, (neque enim ii sumus, qui novitatis laudem affectamus, sed eorum vestigiis insistere duximus gloriosius,) quaecunque de ecclesia perperam quondam docuerunt Donatorum, (a quocunque nimirum eorum, nomen adfiverint, nobis hic perinde sit) asectae, ea in gremium suum adfivisse Fanaticos, & qui iis pollicem premunt; Nihil enim frequentius fuit illis, quam ut adstruerent sententias satis perverfas: *Ecclesiam in his terris usque adeo esse sanctam & incontaminatam, ut ne quidem corporaliter non sanctos vel peccatores, sive sint publici, sive occulti seu hypocritae, secum habeat:*

Natal.
Alex. H.E.
Sec. IV.
p. 39.

Ecclesiam veram apud se solos, & nusquam alibi in toto terrarum orbe reperiri: ecclesiam Catholicam & Orthodoxam meretricis nomine dignam esse: esse in illa ecclesia magis paganos, quam Christianos, aliasque ejusmodi accusationes, quas ex libris Augustini cumprimis haurire licet, adjunctis historiae cognoscendae causa HENRICO VALESIO, THOMA LONGO & LEYDEKKERO, qui peculiaribus scriptis hoc schisma descriptum dederunt. Ita nihil etiam frequentius est in fanaticorum castra euntibus, quam eadem asserere, separari a coetibus nostris, & peculiarem ecclesiam colligere in ipsa ecclesia, & partim aliis pronunciatis, partim hoc speciatim se effere: Ecclesiam nostram non esse PLANTATAM, sed noviter PLANTANDAM, adeoque non modo emendatione, sed etiam nova plane structura opus habere. Quae utrum tantum fundamenti habeant, quantum speciei jactant, & quid proprie constituat ecclesiam PLANTATAM, exquirere oraculi nostri I. Corinth. III, 6. ductu aggredimur, Deum serio rogantes, ut structuram suam verae ecclesiae salvam tectamque semper tueatur, & in media etiam militia incorruptam servet.

§. IV.

Brevi vero meditatione exequemur, quae ad vocum ubique notationem pertinent, porismatibus vero dogmaticis rem ipsam expedituri. Tribus enim nominibus, quaecunque circa ecclesiam Dei colligendam tum ab ipso, tum a ministris ecclesiae suscipiuntur, expressa reperimus, quorum primum est τὸ φητέμεν, alterum τὸ πορίζεμεν, tertium denique τὸ ἀνέγειμεν: Actiones has salutare Paulus inter Deum & ministros, quos hic Paulus ipse ac Apollo constituunt, distribuit, & postremum Deo, reliqua ministris assignat: Illaque omnia in Corinthiorum Ecclesia facta esse asseverat.

Parva

Parva est, ut apparet, haec rerum sylvula; sed si recte introspicias, genuinam verae Ecclesiae plantatae formam nobis repraesentat, in Corinthiaca illa. De qua notabile velut in antecessum nobis videtur, quod, sicut aes Corinthium priscis hac de causa in pretio fuisse legitur, quoniam aurum cum reliquis metallis incendio permixtum deprehendebatur, & nonnisi per artem summam erat separabile: ita etiam illa auro charior Paulo fuerit, ob veritatem auream, quam agnoscebant, non tamen sine omni permixtione scandalorum hinc inde circa disciplinam, & vitam ac mores, fit deprehensa. Et nisi nos omnia fallunt, Apostolus divinissimus in capite, ex quo oraculum desumptum, ad hanc similitudinem alludit, ubi singulorum opera ac doctrinam per ignem probanda atque examinanda asserit, ut appareat tandem, quid aurum atque argentum, aut levioris etiam pretii materia sit. v. 12. Hinc oppido, quicquid illa in Ecclesia nobis spectandum ab Apostolo praebetur, & quicumque demum ordo in ea plantanda & constituenda observatus est, certo certius in aliis etiam ecclesiis veris atque sinceris constituendis observatum fuisse credi debet, quandoquidem minime nobis persuademus, solum Corinthiorum causa isthoc scripserit Apostolum, ut deinceps futurus a nobis docebitur, sed potius servire putamus illam Ecclesiae Corinthiacaе formam descriptam, tum ad accuratum scrutinium scandalorum hinc inde in sinu ecclesiae orientium; tum circumspeditionem mediorum, quibus illa tolli possint; tum etiam consolationem, si quando nostra ecclesia ab aliis ideo impetatur, ut noscamus, eam nihilominus verum esse & manere Dei coetum ac peculium, adeoque *posse nos in ea beate vivere & mori*, non vero idcirco causas habere emigrandi, qui omnium Apostatarum, nec
non

non desciscientium fanaticorum ad unum omnium calvus praetextus est, *se offensos fuisse vitae improbitate*, quae hinc inde animadvertentium se oculis obtulerit. His itaque inanimibus malae causae defensionibus obviam est omnino eundum, & quam nulla exceptio illa fit, ut aliis argumentis a nostratibus confectum, ita ex hujus expositione non minus demonstrandum.

§. V.

Quando Ecclesia *plantatur*, Deus est ipse *plantationis* autor, & causa efficiens *principalis*; Nemo id in dubium nobis vocaverit: Si enim Paulus atque Apollo, plantantes ministri, vi oraculi nostri, *NIHIL* sunt, quando absolute & extra subordinationem, quam habent ad causam principalem spectantur: aliquid sane erunt, in illa considerati, plus tamen valebit principalis causa, a qua in agendo dependent. *Aliquid* vero esse verbi ministros mox apparebit ex nostro oraculo: Idque ut sint, beneficio atque vocationi divinae debent; Ille itaque vocans & vocationis autor infinites major erit, quam ministri ab ejus nutu dependentes. Non vero negare quis audeat Deum in plantanda ecclesia summa & incircumscripta ubique libertate usum fuisse, ita quidem, ut potuerit plane carere ecclesia, nisi visum fuisset communicare sua bona hominibus, & ut fruerentur, fruique possent, postquam incapacissimi, imo mortui per lapsum facti sunt, bona illa offerre, & per certa media conferre; adeoque ad participationem illorum, ipsos vocare, in coetum aliquem colligere, atque se ipsis propius cognoscendum fruendumque dare. Hujus dispensationis divinae certitudo satis patet ex nostro oraculo; ubi enim ordinatio est plantantium & augmentum a Numine superadditur, ibi datur sane ordo & *ὀμοθυμῶς* quaedam plane singu-

singularis & diviniſſima. Hanc vero ſemper aduiſſe, tum ex eccleſiae V. T. tum N. T. plantatione patet. Ex priori: quando Deo viſum eſt, plantare eccleſiam, ubi nulla adhuc aderat, certo ordine & praedicato ab ipſomet Prot-Evan-gelio in Paradifo, quod poſtea Patriarchae ad poſteros propagarunt; Ex poſteriori: quando eccleſia nova ex gentibus colligenda erat, ubi ſimiliter Deus, fons miſericordiae omnis, erat occupatiſſimus, ut praedicatione evangelii de Chriſto illa collectio perageretur.

§. VI.

Quando vero de Deo loquimur, nullam Trinitatis Sacroſanctae perſonam excluſam vult ſcriptura; Nam plantatio Eccleſiae opus divinum ad extra externum eſſentiale eſt, omnibus perſonis commune: hac tamen lege, ut earum ordo obſervetur, quandoquidem reſpectu certo habito, nunc huic, nunc illi perſonae ſeorſim adſignatur: Ita manifeſtatio ſui ac voluntatis ſuae, quae ipſa eſt plantatio eccleſiae, Deo adſcribitur a Paulo, & terminative Pater intelligitur, qui per Filium, poſtremum dicitur ad nos fuiſſe locutus. Hebr. I, 1. Ita Deus, id eſt Pater, in hac plantationis oeconomia, ſeparat Paulum ab utero matris, & vocat eum per gratiam ſuam, ut filium ejus praedicaret atque mundo revelaret. Gal. I, 15. Illi tribuit Paulus, quod nos benedictione ſpiritali varia, in Chriſto Jeſu benedixerit, Eph. I, 3. Imo Patri etiam in praeſenti epiſtola adſcribit, quod per ejus gratiam vocati ſint Corinthii, id eſt, in eccleſiam adſciti & collecti. c. I, 4. 9. Hujus rei cauſam ſuppeditat nobis ſcriptura locupletiffimam. Quoniam enim per Chriſtum homines Patri placati ſunt, i. Job. II, 1. Pater etiam dicitur miſiſſe filium ſuum unigenitum, ut homines ſibi reconciliaret. Joh. III. 16. nulum dubium eſt, quin ſibi hoc Pater ab aeterno curae eſſe

B

volu-

voluerit, ut ecclesiam *in filio & per filium* haberet, a qua & in tempore coleretur, & aeternum celebraretur, & quam vicissim gloriae suae & bonitatis participem redderet, oblatione omnibus hominibus in univ^{er}sum serio facta. Hinc dicuntur *fideles Christo a Patre dati*, sicut vicissim Patri per filium, ejusque meritum ac intercessionem commendantur. Joh. XVII, 9. II. Vt sic Patris dilectio erga genus humanum condendae Ecclesiae omnino unica fuerit causa ac vera origo.

§. VII.

Porro in plantanda Ecclesia Filius Dei non modo adhuc *ἑσπερος* occupatissimus fuit, & Prot-Evangelium ipsemet annu^{ci}avit, utpote per quod plantatio prima Ecclesiae suscepta & facta est: verum etiam deinceps post afflu^{ti}onem carnis in suam hypostasin nihil aliud intendit, quam *proprio suo sanguine ut ecclesiam redimeret atque acquireret*. Act. XX, 28. Quoad prius res clarissima est. Fons enim omnis evangelii, quandocunque in orbe terrarum praedicandi aut praedicati, prima illa concio est in Paradiso instituta, quae nihil aliud est, quam vocatio ad ecclesiam ab ipso Filio Dei instituta, cujus effectus ipsa ecclesiae constitutio fuit; *Postquam enim primum illa per verbum vocatio facta est*, ita scribentem B. WILHELMVM LYSERVM Theologum exactissimum, sequimur, *statim in summa illa hominum paucitate de novo ecclesia plantata, & in humano genere officina Spiritus S. per idem verbum, quo prima haec ecclesia plantata fuit, in eadem operaturi, constituta fuit: ut in sola ista prima Ecclesiae plantatione, plane immediata Dei per verbum operatio constituenda sit, deinde vero extra ecclesiam salus porro non quaerenda, sed gratiae vocatio ad Ecclesiam deinde allegata sit, in qua Spiritus S. quae ad salutem necessaria, humano generi deinceps dispensat:*
Unde

Unde nec ecclesiam deinde totaliter unquam sublatam fuisse, concedere possumus. Illa itaque vocatio prima facta est ad ecclesiam, quemadmodum, si quando repetita, facta simul ab ecclesia recte fieri potest.

§. VIII.

Quoad alterum, res ex titulo Christi intelligitur, quem Paulus ipsi crebro assignat, eumque *Caput ecclesiae* nominat, similitudine sane pulcherrima & multa mysteria complectente. Nam non modo ordo atque dignitas, verum etiam virtus & efficacissimus influxus exprimitur, qui a capite Christo in Ecclesiam se exerit ac diffundit. Dum enim mediatoris officio defunctus est, & exaltatus ad dexteram Patris, *constitutus est caput ecclesiae*, Eph. I, 22. V, 23. non modo ut principem locum teneret, & esset *πρὸ πάντων*, omnes dignitate antecelleret, essetque *πρωτεύων ἐν πάσῃ*, dominans inter omnes: verum etiam ut *omnia influxu ejus regerentur, atque in ipso constarent*, τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστημε Coloss. I, 16. 18. Prius itaque ejus perfectionem, & in plantis velut *summitatem*, τὸ ἄκρον, ac decus repraesentat, sine quo non possent plantae se diffundere, adolescere ac in ramos dilatari, & incrementa sua exerere: Ille enim est, *in quo πλήρωμα divinitatis corporaliter habitat* Col. II, 9. & omnes *thesauri sapientiae repositi sunt* Col. II, 3. Ita tamen ut non opus habeamus sumere hic caput *materialiter*, ut monet MUSÆUS, *Traët. de Ecclesia* tequalis corporis mystici, aliunde acquirere; sed *formaliter*, *Disp. II.* in quantum reliquis membris eorumque succo & sanguine spiritibusque minime opus habet; quin potius ea omnia istis largitur, adeoque tanquam principium unicum rectivum, & dominium suum & directorium, & actuale seu effectivum influxum, exercet. Ortum habent haec omnia

ex unione personali seu incarnatione, per quam factum, ut actiones & passiones ejus sint meritoriae, adeoque hominibus ad ecclesiam vocatis imputentur, & per fidem applicentur, unde membra corporis hujus mystici per vocationem verbi plantata vegetantur, vitamque spiritualem & adipiscuntur & conservant. Ita dicitur Christus, ut caput, *implere omnia in omnibus* Eph. I, 20. ex quo facile patet, secundum utramque naturam, ut reliqua *αποτελέσματα*, haec ipsi competere, & sic humanam naturam non excludi, per quam nostri factus est particeps Hebr. II, 14. ita ut nunc vicissim totum corpus & planta *ἐξ αὐτοῦ*, ex ipso & ab ipso capiat incrementum sibi conveniens, pro mensura cujusque membri. Eph. IV, 16.

§. IX.

Si itaque rem recte reputemus, tria munera Christo in scriptura circa plantandam ecclesiam assignari, animadvertimus: *Meritum, directorium, & effectivum influxum.* Primum hoc vult, quod Deus propter meritum & satisfactionem filii pro humano genere praestandam, & deinceps praestitam, voluerit ex infinita sua misericordia omnes eos salvare, qui illud meritum fiducia vera sibi applicaturi & amplexuri sunt: & eum in finem per praedicationem verbi & dispensationem Sacramentorum offerre omnibus fidem non dubitaverit, atque sic colligere sibi coetum destinavit vocatorum & vocationem acceptantium, quem adversus portas inferorum tumultuantes usque ad interitum mundi involabilem tueretur. Hinc in tot dictis vocatio ad ecclesiam, Christi merito adscribitur. 2. Tim. I, 9. 1. Tim. II, 6. Eph. V, 25. & dum Apostolo cum Corinthiorum ecclesia est negotium, sanctificatos, id est segregatos & in populum Dei adseitos eos asseverat, *ἐν χριστῷ* 1. Cor. I, 2. *gratiam praedicationis*

cationis datam ἐν χριστῷ v. 4. Originem eos Christianismi sui accepisse ἐν χριστῷ v. 30. nominat eos ἑνὶ χριστῷ 1. Cor. III, 1. & disertis verbis asserit praeterea in hoc capite, aliud non esse fundamentum ecclesiae, praeterquam Christum v. 11. Quae omnia multaue alia, docent, ecclesiam Dei in solo sanguine Christi radicari, & ejus merito superstrui Coloss. II, 7. Competit praeterea Christo directorium ecclesiae circa ejus plantationem, idque itidem secundum utramque naturam, quando ipse qui ecclesiam sanguine suo acquisivit, Act. XX, 28. sollicitus etiam est de episcopis illius constituendis, unde grex Christi, & ipse Ἀρχιεπίσκοπος Petro vocatur 1. Petr. V, 2. 4. & dum Corinthiis muneris sui rationes exponit Apostolus noster, se & reliquos, ministros Christi nominat. 1. Cor. IV, 1. in nomine Jesu Christi ejusque auspiciis excommunicat incestuosum. 1. Cor. V, 4. Hoc sane munus luculenter exercuit, ubi Apostolos ad munus sanctissimum vocavit, & post resurrectionem suam inauguratione solenni consecravit, tandem post ascensionem donis extraordinariis Spiritus Sancti instruxit, Joh. XX, 22. Act. II, 3. 1. Ph. IV, 11, qui locus sane illustrissimus est in hoc argumento. Ita, quae diximus, omnia, Petrus Christo accepta refert, eumque effudisse Spiritum S. in ipsos asseverat. Act. II, 33. rationemque addit, quia factus sit in exaltatione Dominus, & Rex unctus, quoad plenariam nimirum χριστῷ in Ecclesia. v. 36. Ita Paulum ipse vocavit ad Apostolarum, eundemque sibi apparuisse, & ab eo missum se asserit Ananias Act. IX, 5. 17. Cui directorio se adhucdum minime subtraxit, sed hac promissione locupletissima omnes suas conciones finit atque claudit, quod sua praesentia quae ad utramque naturam pertinet, usque ad finem mundi interesse ecclesiae suae velit, atque curam de adsciscendis ministris, & propagan-

pagandis Ecclesiis nullatenus abjicere, sed modo efficacissimo, etiamsi invisibili, exercere.

§. XI.

Haec vero efficacia jam memorata tertium beneficium Christi est, quod post incarnationem & mox susceptum statum utrumque, in ecclesiam redundare jussit, nimirum *influxus ille non modo moralis*, de quo jam actum, verum etiam *Physicus & realis*, per actiones atque operationes ad producendos in membris ecclesiae actus habitusque spirituales; qui sane fieri atque suscipi non possunt sine infinita vi & potestate; Haec vero Christo competit, tum secundum divinam ejus naturam, per & propter se: tum secundum humanam, per & propter unionem personalem. Foedata sane est doctrina illa, de influxu capitis ecclesiae Christi, per Scholasticos, qui, ut *MUSAEVUS, HVNNIVS*, aliique illorum sententias excusserunt, de fide & reliquis ex hoc influxu oriundis effectibus, satis confuse & falso docent; eo consilio, ut summo isti capiti aliud subalternum visibile adjungant. Vindicata vero in nostris ecclesiis perdurat, & praecipue in Apol. A. C. Art. IV. nervose ac breviter exposita: *Haec Ecclesia, nimirum quae habet puram Evangelii doctrinam, & administrationem sacramentorum consentaneam evangelio Christi: haec sola dicitur corpus Christi, quod Spiritu suo renovat, sanctificat & gubernat, ut testatur Paulus Ephef. 1. cum ait: Et ipsum dedit caput super omnia ecclesiae, quae est corpus ejus, videlicet integritas, id est, tota congregatio ipsius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra Christi.* Nullo negotio intelligitur hinc, ut & ex oraculo nostro, τὸ αὐτοειπεν, donationem incrementi, etiam Christo competere, ita scilicet, ut bona promerita sanguine suo hominibus credentibus in ecclesia actu secundo conferat & appli-

applicet, atque dona, quae ex captivitate atque exspoliatio-
ne inferni attulit, distribuat. Eph. IV, 8. Unde crescunt in
capite Christo, ex quo succum & sanguinem, velut palmi-
tes ex vite, capiunt atque attrahunt. Eph. IV, 15. Joh. XV,
5. 6. Ita ut pro varietate *juncturarum & commissurarum* in
illo corpore Christi varia atque diversa quoque sint dona ab
ipso profuentia, ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἐνάσης μέτρος, proque men-
sura uniuscujusque partis seu membri Eph. IV, 16. perinde
ut in plantis quaelibet ἀφ᾽ ἑαυτῆς seu junctura & nodus, singula-
rem ἐπιχειρομασίαν & administrationem virtutis requirit;
Quae vero illae virtutes sint, mox a nobis exponetur. Suf-
ficiebat hic declarare, quemadmodum plantatio ecclesiae
Christo Filio Dei competat, tum ante, tum post ejus incar-
nationem factam. Influxum enim Physicum qua homo,
& quidem plenarium atque incessabilem post exaltationem
demum exercere coepit, sicut eum qua Deus, etiam ante
incarnationem exercuit: vicissim influxus ejus moralis
qua Dei & hominis, tum ante tum post ejus incarnationem
viguit ac viget.

§. XIII.

Haec, quae de Christo, scripturae ac sanorum verbo-
rum ductu, disseruimus, minime Spiritus S. operationem in
plantatione ecclesiae excludunt, sed eam potius simul sta-
bilitant ac firmant. *Principium Ecclesiae Deus est*, ita noster
B. Lyserus: *per gratiosum influxum filiationis a Patre producen-
te: Domini, a capite Christo gubernante: Spiritus & vitae, a
Spiritu S. movente.* Quod axioma sapientissimum ea, quae
fusus explanari opus erat, tribus verbis concentrat, &
simul, quale hic Spiritus S. opus suscipiat, egregie declarat.
Nimirum ipse est movere, spiritum ac vitam largiri; Fit
hoc, quando gratiam hominibus per Christum partam per
voca-

vocationem offert, eos illuminat, regenerat, ac fide in ipsum donat, remissionem peccatorum in cordibus ipsorum obfignat, illos secum unit, & inhabitat, sanctificat atque renovat. *Illa est proprie Ecclesia, scribunt pii Confessores, quae habet Spiritum Sanctum: Et porro: Quare nos juxta Scripturas sentimus, ecclesiam proprie dictam esse congregationem sanctorum, qui vere credunt evangelio Christi, & habent Spiritum S.* Apol. A. C. p. 150. Cave vero, ne hoc finistre accipias: nec enim falsae quoque ecclesiae verentur Spiritus sancti dona jactare. Hinc se alio loco dilucide explicant, de praesentia Spiritus Sancti ex veritate concionis evangelicae judicari oportere: *Ubicunque gentium Spiritus S. verbum Dei praedicare non fuit, inque corde excitat, ut accipiatur, ibi frustra est ac perditum. Quemadmodum dominante Papatu accidit, ubi fides prorsus neglecta & obscurata jacuit, nemo Christum pro Domino cognovit, neque Spiritum S. pro eo, qui sanctificaret, habuit: hoc est, nemo credidit, Christum eum esse Dominum, qui sine operibus & meritis nostris tantum thesaurum nobis peperisset, nosque Patri reconciliasset. Et quid tandem in causa fuit? hoc scilicet, quod Spiritus S. praesto non fuerit, qui talia de Christo revelasset, & praedicare svisset: verum homines mali & daemones praesto fuerunt, qui docuerunt, propriis operibus consequendam esse salutem & irati Patris gratiam impetrandam. Eam ob rem neque Christianorum fuit communio. Ubi enim de Christo nihil doctetur: ibi neque ullus est Spiritus S. qui Christianorum communionem solet constituere, convocare, ac in unum cogere, citra cujus operam & operam nemo ad Christum Dominum pervenire potest. F. C. p. 498.* Haec munia Spiritus S. Apostolus seorsim satis diferte, non solum aliis locis, verum etiam hac in epistola, indicat; Ita c. II. praecedenti asserit Deum, quae alias de vita aeterna & via ad eum, incognita erant, per Spiritum sanctum

tum revelavisse, v. 10. docere Spiritum S. verbis commo-
dis, & sanctissimo mysterio idoneis v. 13. auferre naturalem
coecitatem & stultitiam vers. 10. quae functiones omnes ad
constituendam veram ecclesiam omnino pertinent, de qua
deinceps c. III. agendum videbatur.

§. XIII.

Ab hac causa *principali* dependet in agendo *ministeria-
lis & organica*: Hortulanus sic est Paulus, hortulanus Apol-
lo: *Ego enim*, inquit Paulus, *plantavi, Apollo rigavit.* Adeo ri-
gorose verbi praedicationem ad hoc negotium perficien-
dum requirit Deus, ut ne unum quidem exemplum con-
versi ac salvati (de adultis enim sermo est) demonstret Scri-
ptura, quin illa praedicatio intercesserit; cui deinceps Sacra-
menta adjunxit. Ad utriusque administrationem ministris
etiam opus erat, ac dispensatoribus, per quos Spiritus S. ope-
raretur, atque Christus influxum suum physicum excer-
ret. Ubi notamus 1.) ministrum praedicantem & Spiritum
S. ἐνεργῶντα, unum numero ἀποτέλεσμα producere, quo-
niam expressis verbis testatur, quod & ipse & Apollo sint
συνεργοὶ καὶ διάκονοι, v. 5. & 9. 2.) nos non debere turbari, quod
dicat Paulus, neque se, neque socium suum *aliquid esse* v. 7.
uti enim jam ante monitum est, comparativa est locutio,
non simpliciter assertiva: alio enim loco omnino asserit,
se esse *aliquid in gloriam Dei* *Eph. I, 12.* imo influxum sibi rea-
lem non raro tribuit, quod ipse Galatas *regeneraverit & partu-
riat de novo*, *Gal. IV, 19.* in quem locum peculiari dissertatione
nobis actum, & hoc argumentis evictum est. 3.) In hac ma-
teria de collectione & plantatione ecclesiae minime confi-
derandas esse personas ministrorum, sed solum eorum offi-
cium; nam, si neque Paulus neque Apollo in se aliquid sint,
nisi Deus adsit ὁ αὐξάνων, qui incrementum dederit, id est,
cujus agitur nomine, & cujus est ministerium, quod suscepe-
runt;

C

runt; non sane spectatur hic ministri *qualitas*, quatenus est *plantatus*, & verum Ecclesiae membrum, sed quatenus est *plantans* & homines ad regnum Christi per verbum vocans & perducens. Alia enim in fede & articulo fidei agitur de qualitatibus ministrorum, hic vero de officio ipsis demandato. Hoc enim, graviter notante Lysero, ad primam tabulam & tertium praeceptum pertinet, cum quoad personas & ordinem ipsum ad quartum praeceptum referendum Syft. Theol. p. 116.

§. XIV.

Debent vero & reliqua animadverti, quod (4. ad Ecclesiae plantationem requiritur *vocatio* divina, quae aut extraordinaria aut ordinaria esse deprehenditur. Illius exemplum in Paulo praebetur, alterius schema nobis Apollo repraesentat, ubi admodum memorabile, in plantatione Ecclesiae prima, Deum ipsum extra ordinem evocasse homines, quibus colloqueretur, & per quos verbum suum annunciari juberet, eosque miraculorum illustrissimis donis instrueret, & sic augustiorem verbi praedicationem ac splendidiorem redderet; ubi vero Ecclesia jam fuit plantata, successisse homines ordinario modo ab ipsa ecclesia vocatos, auspicioque Numinis per preces impetrato constitutos. Paulo enim adjunxit Viros non a se immedie, verum per Apostolos ipsos adscitos & vocatos; qualis erat Apollo, vir equidem in scriptura potens & eruditus, non tamen immedie inspiratione praeditus, quam si jactavisset, transfiliisset & modestiae & veritatis terminos. *Act. XIX, 24. sq.* Quod porro 5.) illi Viri ab Ecclesia ipsa vocati fuerint, cujus nomine eam vocationem peragebant tunc Apostoli; hinc Apollo cum sociis, ad amplificandos coetus & propagandos destinatis, dicuntur tum Viri Apostolici, aut etiam Legati, ut Dannhaucus evincit. *Dram. S. p. 134.* ubi ad hanc classem Viris Apo-

Apostolicis adhuc inferiorem, Apollo nostrum refert, atque ex Hieronymi fide narrat, eum Corinthiorum Episcopum fuisse, mox ob dissensiones in Cretam transfretasse, iterum vero invitatum a Paulo rediisse. Quod 6.) ad istorum ministrorum plantationem perficiendam, Deus potestatem quandam illis largitus fuerit, quae in donis ministrantibus se conspicuam reddit, & non unius ordinis est; dabantur enim initio plantationis tum in Apostolis, tum in Viris Apostolicis nonnunquam, dona plane extraordinaria: Sufficiebant deinceps ordinaria, nisi quod ad repurgandam ecclesiam a fermento Pontificio per Lutherum perficiendam extraordinaria nonnulla intercessisse observent fieri doctores ecclesiae nostrae. Unus vero influxus est, ejusdemque utrobique efficaciae: unus enim est *ὁ θεὸς αὐξάνων*, ut Apostolus asserit.

§. XV.

Notamus sic 1.) dona ordinaria in Ecclesia nostra sufficere, & satis idonea esse ad omnia munia felicissime peragenda; neque extraordinarias revelationes optandas aut expectandas esse. Erat enim Apollo, institutus in via Domini, id est, doctrina de fide in Christum velut unice vera Hodosophia; adeoque per industriam amplificans dona administrantia, ut esset 2) *λόγιος*, eloquendo valens, Act. XVIII, 24. 3) *δυνατός ἐν τοῖς γραφαῖς*, quod sine studiosissima lectione & scrutatione fieri non poterat v. 24. erat 4) *ζῶν τῷ πνεύματι*, quod precibus a Deo procul dubio obtinuerat, 5) *ἐλάλει τὰ περὶ τῆ κωρίσ*, Theologiam dogmaticam locutus est, & 6) *ἐδίδασκει*, ordinata, etiamsi nondum scholastica, methodo: *ἀκριβῶς* tamen, & ubique accurate. Deficiebant tamen nonnulla huic cognitioni, institutus enim 7.) saltem erat, in baptismo Johannis, ut appareat gradus admittere illa dona, imo dona Apollo collata non fuisse

extraordinaria ut ex collat. Act. XIX, 3. 6. conspicuum red-
ditur. Porro 8.) vocationem habebat mediatam, ab Aquila
& Priscilla uberius informatus est, 9.) ipse habebat volun-
tatem ac desiderium inserviendi ecclesiis Achaicis seu Co-
rinthiacis, unde apparet in ministris adesse debere & volun-
tatem & facultatem, v. 27. 10.) commendatus erat a fratri-
bus ad alias ecclesias, ut elucescat, commendationes non om-
nes esse illicitas, si legitime fiant, v. eod. 11.) habebat *χάρι-
τι* gratiam Dei per ipsum operantem v. 27. ita quidem ut
12.) potuerit *εὐτονος διακατελέγχεσθαι*, efficacissime & po-
tentissime arguere Judaeos, & ipsos convincere disputatio-
nibus suis, & 13.) demonstrationibus rem suam firmare,
v. 28.

§. XVI.

Recensuimus haec eo prolixius, quae ad cognoscen-
dum Apollo nostrum pertinebant, quo magis necessarium
esset circa praesens argumentum ea conficere; ut acquie-
scamus donis in Ecclesiae ministris ordinariis & mediatis:
vera enim est ecclesia illa, quae per talia etiam dona pro-
pagatur & conservatur, nec amore novitatis quaerantur
extraordinaria, de quibus tamen nullam habemus pro-
missionem. Siquidem in nostro oraculo, non denegat Ap-
postolus efficaciam concionibus ab Apollo factis, imo dicit
quod per ipsum Corinthii crediderint v. 3. quod rigaverit
cum benedictione v. 6. quod plantans ipse & Apollo rigans
non dispari sint dignitate. v. 8. Hinc enim funestum satis
schisma ac diffidium in Ecclesia Corinthiorum oriebatur,
quod discrimen personarum ministrantium, non ut par erat
assequerentur, sed *earum corticem* velut, externorum ni-
mirum donorum imparitatem, cum *medulla*, id est effi-
cacia Spiritus S. confunderent, & hinc studiis partium at-
que factionibus inter se dissiderent, ut alius diceret: *ἐγὼ*
μὲν

μὲν εἰμι παῦλος, alius vero, ἐγὼ Ἀπολλῶ, v. 5. quod & contemtum & scandalum, aliaque incommoda multa pareret. Itaque omnes in univerſum legitima vocatione ad docendum accitos *συνεργῆς* Dei nominat Apoftolus, ut adeo unitate miniſterii, fidei, charitatis, intentionis ac ſcopi, unum ſint, tametſi gradu, donis, vocationis modo, autoritate, aetate, labore ac mercede multum inter ſe differre non ex verbis Apoftoli ſit inficiandum.

§. XVII.

Uno praeterea, non diverſo, utuntur medio plantationis miniſtri eccleſiae, etiamſi enim dicatur Paulus plantare, Apollo rigare, utrobique tamen ſuſcipitur illa actio per verbum & Sacramenta, Nam quod Hammondus cum aliis hic interſerit, *Paulum praedicaviſſe, Apollo vero baptizaviſſe*, quia dicatur *ποτιζεν* rigare; nequit tamen haec interpretatio admitti, quandoquidem & Paulus baptizavit, ut ipſe in I. capite v. 14. ſeq. fatetur, neque effatum illius nos turbat, quando dicit v. 17. non miſſum ſe eſſe a Chriſto *ad baptizandum, ſed evangelizandum*: Haud difficulter enim quilibet intelligit, & praxis Paulina oſtendit *comparative* eſſe interpretandum, quando maluit *docendo*, quam *baptizando* munus ſuum peragere, ne videretur plauſum captare, aliis itaque hoc officium demandavit. Viciffim non negaverimus, Apollo plures baptiſmo tinxiſſe, quam Paulum feciſſe legimus, nec tamen hoc ſolum muneris ſuſcepit, ſed evicimus ante, eum praeterea *ἐπιτόμως docendo & diſputando adverſus Judaeos* munia ſua impleviſſe. Docuit itaque Paulus, docuit Apollo; baptizavit Paulus, baptizavit Apollo: eodem ſane verbo & Sacramentis uſus uterque. Dicitur vero non uterque *plant aſſe*, ſed ille ſaltem, per quem primum Deus eccleſiam illam collegit, atque a tenebris ad lucem revocavit, ſive jam paucis, ſive multis conſtiterit homini-

minibus: Alter vero dicitur *rigavisse*, quoniam Deus per eum jam plantata, verbo & Sacramentis iisdem, refecit, confirmavit atque vegetavit, ut tum crescerent ac vitam roborque & Spiritum consequerentur uberiolem, verum etiam multiplicarentur & auferentur, haec enim ratio stirpium est recte plantatarum & rigatarum, ut non modo *crescant*, verum etiam *multiplicatione quadam dilatentur*.

§. XVIII

Habebant itaque porro idem objectum, circa quod occupabantur duumviri hi sancti, Paulus & Apollo, sed non eodem modo apud utrumque considerato. Siquidem Plantatio Pauli ferebatur in *subjectum* aliquod plane incredulum & irrogenitum, quale erant corinthii ante suam conversionem, populus non vitae solum morumque turpitudine fatis per orbem famosus, ut Corinthiari communi proverbio diceretur, qui luxuriae & scortationibus esset deditus: quod adeo non disimulat Apostolus 1. Cor. VI, II. verum etiam a fide & vera cognitione Dei plane alienus, ut perinde ac alii gentiles absque Deo fuerit, quantum vis alias non plane sapientia civili destitutus: 1. Cor. I, 23. Non itaque hortum inveniebant in Achaja, sed desertum, ubi nec verbum nec Sacramenta reperiebantur: Non deerant fentes & spinnae τῶν ἀντιπασσόντων ἢ βλασφημιῶν: Act. XVIII, 6. Ille vero intrepido animo opus Domini aggressus primum Aquilam ejusque uxorem, Justum, Crispum & familiam ejus, multos deinceps alios ad evangelium amplectendum perduxit, & partim ipse baptizavit, ut fatetur 1. Cor. I. partim a Sila & Timotheo, qui ipsi in eo loco assistebant, baptizari curavit. Act. XVIII, 8. ibique commoratus est per sesquiannum, verbo Numinis confirmatus, quo eum excitaverat, ut loqueretur, nec sileret, Εγὼ εἰμι μετὰ σῶ, ἢ εἰς ἐπίθνησεται

σοι τῆ κακῶσαι σε διότι λαός ἐστὶ μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ.
 Nemo audebit Tibi nocere : Nam magnus est mihi populus in hac urbe: *Act. XIII, 10.*

§. XIX.

Tandem post varias persecutiones illic discedente Paulo, Apollo eo pervenit. cap. cit. v. 27. atque viae ab Apostolo monstratae institit, & in convertendis coeteris infidelibus, confirmandis vero conversis operam collocavit. Quod Apostolus nominat ποτίζειν, rigare terram, cui semina jam condita sunt, cum plantare, τὸ φυτεύειν, vox antiquis Botanicis non infrequens, aliud nihil notet, quam plantas, arbores aut femina terræ vacuae mandare: perinde ut Φυτευτήριον seminarium aut plantarium dicebant Graeci, in quo arbuscula & plantae nutriebantur, imo & transferrent ad homines & φυτεύειν πόδας idem erat ac gignere aut generare, ut vel hac translatione commode usus fuerit Apostolus, quando ipse se Patrem Corinthiorum fidelium nominat, quoniam per Evangelium eos genuerit, cum alii saltem sint παιδαγωγοί, qui jam regenitos ulterius educent, atque instituant, & quorum possint esse multi, imo μύριοι, decies mille, non tamen posse eos habere multos Patres, quia ipse solus eam gloriam habeat, quod eos regeneraverit 1. Cor. IV, 15. qui locus egregie oraculum nostrum illustrat, & differentiam vocum plantandi atque rigandi demonstrat. Paulus enim erat Pater, Apollo respectu fidelium Paedagogus, ille erat plantans & arbores primas serens, hic multiplicans & propagans. Ille vocans, hic vocationem iterans & continuans, ac subinde restaurans. Atque hac ratione uterque laudem fidelis Dei ministri gerebat, nec tamen uno eodemque ordine laborum defungebantur; Paulus enim fundamentum posuit genuinum: Alterius deinceps erat, illi fundamento superstruere: uterque vero divino incremento id debebat peragere v. 10. Capituli nostri.

§. XX.

§. XX.

Tam arctus itaque nexus erat inter Corinthios ex una, & Paulum atque Apollo ex altera parte, ut quicquid uterque egerit aut susceperit, sicut ex uno eodemque benedictionis divinae fonte promanaverat, ita in eorum bonum unice ex aequo tenderet. Hinc asseverat Apostolus capite eod. III. v. 22. *eos possidere Christum, adeoque simul ejus ministros, quicumque demum illi sint, sive sit Paulus sive Apollo sive Kephas, (πάντα ὑμῶν ἐσμὶ) omnium ipsorum propria esse: ut innuat, nihil hic considerari debere in ministris, praeterquam emolumentum, quod ab eorum vocatione & actionibus seu operationibus in auditores dimanaret.* Ex quo facile hoc constat, hanc esse Ecclesiam vere plantatam, ubi coetus vocatus per ministerium verbi, illud se amplecti, & sibi applicare, tum legis tum evangelii concionem proficitur; Quando enim datur gratia in Christo Jesu, v. 4. illa δόσις omnino λήψιν requirit, quae per fidem peragitur, a Spiritu S. in homine non renitente accensam, (quae tamen & ipsa non-renitentia gratiae praevenientis opus atque donum est,) non alio medio, quam itidem per verbum & Sacramenta; Ubi vero simul notandum venit, quod, sicut hi actus suscipiantur a Numine ad ecclesiam constituendam, & in ecclesia ac coetu vero fidelium, ita fides ipsa hic considerari debeat non saltem in se, & respectu suae qualitatis, verum etiam relative, quatenus, uti Lyserus noster loquitur, *ad unionem dirigitur, & ad unum sese corpus habet, atque in illo caput respicit. Quodlibet quidem membrum propria fide vivit: ista tamen fides una est, quatenus omnia & singula membra ad caput Christum refert: hinc etiam dicitur omnium fidelium una esse fides, sicut unum corpus, unusque Spiritus Eph. IV, 4. dicitur quoque una ecclesia in Symbolo Apostolico, ab illa spiritali unitate, qua se circa consensum ac professionem de doctrina evangelii & admi-*

adminiftratione Sacramentorum , etiamfi ritibus inter fe nonnunquam discrepantibus, exerit, ita ut ipfa forma eccleſiae, quae idcirco dicitur Synthetica, a noſtratibus Theologis, ſpeciatim B. KOENIGIO, reponatur in unitate externa profeſſionis doctrinae verae, ſeu in publica ſocietate profeſſionis ejusdem fidei, ejusque publici exercitii.

§. XXI.

Diſtincte itaque ſentiendum & loquendum erit de *interna & inviſibili*, ut & de *externa & viſibili* eccleſiae, ceu *plantarii ac ſeminarii ſpiritualis, conſtitutione*. Ad illam enim ſi reſpicias, cognosci atque oculis uſurpari nequit: ſicut enim ſemen terra reconditum in abdito creſcit & vegetatur, donec erumpat & viſendum ſe praebeat, atque culmos & ſpicas protrudat; Ita fides ex verbo DEI accenſa & vegetata, per ſenſus minime cognoscitur: Interna ſiquidem electorum ac fidelium conſtitutio ſoli Deo nota ac perſpecta eſt; Vnde haud difficulter colligitur, ad talem eccleſiae deſcriptionem proprie pertinere vere ſaltem credentes & electos, quos Deus ſolus novit, homines enim, falli ac decipi proclives, hac de re judicare nequeunt. Judicant itaque ex *conſtitutione externa*: adeoque ſufficit illis ad eam verbi externa praedicatio atque confeſſio, ſacramentorum genuina diſtributio, & *λήψις*, cum confeſſione congrua. Ita conſtat eccleſia plantata ex hominibus per vocationem verbi congregatis, collectis & in una confeſſione fidei conjunctis atque unitis, in qua diſpenſatio mediorum dictorum legitimo ordine peragitur atque recipitur, & praeterea diſpoſitione quadam externa ſeu diſciplina & *εὐταξία* exornatur, ut ſolent in plantario omnia ordine atque methodo, ſerieque juſta ſibi conſtare ac reſpondere, *1. Cor. XIV, 40.* ut adeo Pontificii praeter rem rideant eccleſiam inviſibilem; poteſt enim illa externa quoque conſtitutio, injuria perſecutionum ſic

D

per-

permittente Deo ita obliterari ad tempus, ut publice confidentium numerus ad paucissimos saltem redigatur: occulti tamen maneant confessores alii, quos Deus suae omniscientiae reservavit.

§. XXII.

Et de hac visibili externaque constitutione ecclesiae Apostolus noster differere animum suum ex inspiratione divina induxit. Deus enim ecclesiam Corinthiorum ministerio verbi ac Sacramentorum plantavit atque constituit in suo esse, tum interno ac speciali, tum externo, ac generali: In illo si eam tibi repraesentes, erat inter Corinthios omnes vocatos, omnesque in ecclesia viventes, genus electum, atque regale sacerdotium, aut, ut in simili Apostolico subsistamus, arbores quaedam atque plantae justitiae in honorem solius Numinis destinatae, seque ipsas consecrantes: *Ef. LXI, 3. II. LXIII, 22.* Illi erant vere fideles, vocationi suae conformiter viventes, & evangelio ubique digne ambulantes, & selecta quaedam classis Deo placentium; si vero in esse externo respicias, deprehendes ex locutione Paulina, plantarium ecclesiam Corinthiorum repraesentavisse, in quo bonae & malae arbores, omnes tamen plantatae, id est, unum regeneratae & conversae, baptizatae, verbum Dei & Sacramentum amplexae, fuerint; poterant enim & illae arbusculae atque plantae, ficusque, quae fructus antea tulerant, resiliire velut a bono proposito, graviterque peccare, & nihilominus manere in ecclesiae plantario & fidelium coetu; poterant antea rigari, imo poterat incremento divino addito cor multorum vere ad Deum fuisse adductum, & tamen de novo relabi in scandala & multos simul seducere, ut illa scandala tandem fierent publica; Hic jam quaestio oriebatur, de qua sermo nobis erat futurus, *An Ecclesia Corinthiorum isto in statu, in quo eam Paulus tunc deprehendit, fuerit plan-*

plantata, an plantanda? Prius affirmandum quilibet videt, siue respiciat esse ejus internum siue externum, si *internum*: dabantur enim adhuc aliquae arbores sanctae, quod ex omnibus fere lineis hujus epistolae patet; si *externum*, manebat etiam ecclesia inter media scandala, plantata, quia habebat verbum Dei & Sacramenta pura, quae etiam amplectebantur Corinthii, etiam si multi illorum scandalis in vita se admodum foedaverant ob id ab Apostolo severe correpti.

§. XXIII.

Possimus hanc rem tum ratiociniis aliis multis gravissimis, tum ex ipsis verbis Paulinis confirmare; Primum enim Apostolus non quosdam saltem Corinthios, sed totum eorum coetum, quantus erat, alloquitur, vocat vero eos, ut paucos saltem colligamus flosculos ex hoc horto, *vocatos in Christo & illuminatos & cognitione ditatos*, c. I. i. 4. *Afferit eos per nomen Jesu justificatos & ablutos a peccatis seu regeneratos*. c. VI. ii. *sanctificatos, & fideles esse, qui invocent nomen Domini nostri J. C. c. I. i. qui gratiam in Jesu datam acceperint, concionem de Christo in se efficacem senserint, donis etiam sanctificantibus sint instructi, spe certa de vitae aeternae gloria corroborati, & usque ad finem conservati*, C. I. 7. 8. *qui templa sint a Spiritu S. inhabitata*. i. Cor. VI. 19. & quae alia sunt eorum attributa, quae sane omnibus & singulis non poterant accommodari; vicissim alia & satis quidem turpia de Corinthiis pronunciat, eorumque coetui integro in universon tribuit, quae tamen nonnisi multorum erant propria: De iis enim ipsis, quos antea tantopere laudaverat, vehementer conqueritur, quod *foverent contentiones* i. Cor. I. ii. *essent carnales* II, 2. *essent inflati* IV, 18. *impuri* CV. i. *quorum gloria non bona* v. 6. *haberent in se fermentum expurgandum*. v. i. *Contentionibus & processibus forensibus injustis indulgerent* i. Cor. VI, 4.

VI, 4. *Multas iniustitiae species committerent* v. 8. *Increpationem mererentur*, v. 5. *avaros se ministris verbi exhiberent*, I. Cor. IX, 15. *turbulenti* c. XI, 17. *ambitionem etiam in ipsa Coenae administratione committerent*. v. 18. *variosque praeterea abusus in coena tolerarent* v. 21. *intermitterent examen sui ipsius* v. 30. imo essent qui *negarent resurrectionem* I. Cor. XV, 12. & quae talia multa. Ex quibus patet Ecclesiam Plantatam hic dici, non saltem ratione suae constitutionis internae, quoad paucos vere sanctos, sed etiam externae ut coetum aggregatum, in quo occulti & manifesti essent tum sancti, tum non sancti, & a sanctimonia vitae discedentes. Non enim SANCTI SANCTIS, sed BONI MALIS in plantario Dei permixti sunt, quod graviter adversus Donatistas solet urgere Augustinus.

§. XXIV.

Rem ita claram putamus esse, ut ampliori demonstratione non egeat; ecclesiam nimirum Corinthiorum fuisse plantatam, etiamsi non sanctis hominibus haud parum abundaverit. Probant hoc similitudines Christi servatoris non unius generis desumptae ab area, quae triticum & paleam simul contineat, ab agro, in quo tritico sint immixta zizania, & multae ejusmodi aliae, quae ostendunt ob impiorum mixtionem non desinere ecclesiam manere justam sanctam, Christi sponsam & vere plantatam; non enim tantisper pro veris membris habentur, imo, si gradus admonitionum emendationem procurare non possint, excluduntur & excommunicantur, quod incestuoso factum est inter Corinthios. Jam vero quid facilius quam sic argumentari: Ex quacunque Ecclesia excommunicantur, illa est vere plantata: Atqui ab ista excommunicatur, quae per aggregationem dicitur, & pios atque hypocritas simul continet, E. est vere plantata. Nec tamen propterea asseritur, eos impios esse arbores genuinas horti Christi, etiam si

etiamfi sint in horto; Puto me non temere dicere, alios esse ita in domo Dei, ut ipsi sint eadem domus Dei; quae dicitur hortus conclusus, sponsa pulchra & sine macula; Alios ita esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaeque iustitiae, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Ita Augustinus L. VII. adversus Donat. c. L. In Ecclesia itaque Corinthiorum non opus erat nova ejus plantatione, sed plantatorum & relapsorum rigatione, correctione, emendatione atque restitutione nisi haec succedat, manifeste impiorum exclusione a communione, ut putrida membra refecari solent, & arbores plane consumtae & aridae excindi.

§. XXV.

Credo itaque in terris esse quandam sanctorum congregationem tum & communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo, per Spiritum S. convocata, in una fide, eodem sensu & sententia, multiplicibus dotibus exornata, in amore tamen unanimem, & per omnia concordem, sine sectis & schismatibus. Horum me quoque partem & membrum esse, constanter credo, omnium honorum, quaecumque habent, participem & municipem, Spiritus S. opera eo perductum, iisdem uno corpore unitum, per hoc, quod verbum Dei audierim, atque etiamnum audio, quod principium est in hanc communionem ingrediendi. Haec est confessio solatii plena piorum Confessorum, sigillatim & Lutheri F. C. p. 499. Ubicumque igitur Spiritus S. verbo suo atque sacramentis plantarium instituit, ibi Ecclesiam dicimus non demum plantantam, sed jam plantantam esse, & de nostra ecclesia, in qua nati renati & educati sumus, subsumimus. Libenter concedimus, ecclesiam nostram esse propagandam, & in aliis etiam oris, ubi verbum Dei aut plane non, aut falsis interpretationibus corruptum praedicatur, esse stabilendam, hinc enim civitas Dei nuncupatur, ad quam homines

nes omnes ut accedant, invitantur *Ps. XLVI, 5.* Concedimus etiam quaedam in ea esse membra putrida, & tam pulchro nomine indigna, sed eam, ob scandala hinc inde propullantia, & admixtionem impiorum, veritatem evangelii vitia sua non exprimentium, desinere esse *plantatam, novaque plantatione opus habere*, est quod ob rationes gravissimas inficiemur, & inficiaturi sint nobiscum, quicumque rem paulo altius fuerint meditati. Uno argumento momenta omnia complectemur. *2. Ecclesia eadem plantationis causa principali, ac ministeriali iisdem mediis, eademque forma, & interna & externa cum Corinthiorum ecclesia gaudet, ea perinde ac illa vere est plantata tum ratione doctrinae, tum ratione vitae, nec nova plantatione, sed continuatione & servatione eorum, quae accipit, opus habet*: nec credimus in hac propositione aliquid esse, quod cuiquam, qui adversarium se ecclesiae nostrae profiteretur, possit displicere. Si quem enim male habeat, quod doctrinae vitam junxerimus, ille norit, 1.) omnino ecclesiam Corinthiorum per praedicationem Paulinam ratione morum & vitae perinde fuisse plantatam, quod conciones ejus & creberrimae monitiones testantur, ubi vero hae adsunt, non dici potest intermissam fuisse plantationem ratione vitae; norit etiam 2.) non defuisse inter Corinthios sanctos etiam inhaesive, alias titulis adeo augustis Apostolus eos non excepisset. 3.) nexum doctrinae & vitae esse inseparabilem, ut, quae ecclesia veritatem doctrinae habet, exinde fluentem vitam sanctam necessario non inculcet modo, verum etiam, licet non in omnibus audientibus, credentibus tamen verbo & regeneratis, producat & promoveat; atqui ex talibus constat semper ecclesia purior, non obstant, quod numerus ille sanctorum, Deo soli notus, nunc au-
geatur, nunc imminuatur.

§. XXVI.

Licebit nunc nobis de ecclesia nostra subsumere, Deum enim operantem, nec non Paulum atque Apollo adfuisse, verbum purum atque Sacramenta rite administrata praesto fuisse, ex quo Deus tum ex gentilismi, tum Papismi superstitionibus majores nostros benignissime liberavit atque eduxit, usque ad nostra tempora, nonnisi ingrattissimus quisque fatebitur promte; de Doctoribus enim semper idoneis prospectum est ecclesiae, quicquid etiam sit de intervallis atque eclipsibus individuorum in doctrina & vita, quae plantationem integrae Ecclesiae non annihilant; de ipsa doctrinae veritate & integritate Sacramentorum testimoniis ipsis adversariorum nostrorum, tum in sinu, tum extra finem nostrum gloriamur intrepide; *Deuter. XXXII, 31* haec vero sunt, quae ecclesiam in statu plantatae constituunt, nusquam enim possunt esse sine efficacia & fructu, sed successively, gradualiter & per intervalla, si totum coetum vocatorum spectes, vim suam exerunt; Quod vero deinceps formam attinet, *internam nemo* denegaverit: Datur enim adhuc unio atque cohaesio fidelium una mente atque uno ore consentantium, & sincere Deo servientium, de quorum copia, aut numero judicare, non hominis sed Dei est *νομογνωσία*. Ponamus vero esse quam paucissimos, & querelam Davidicam. *Ps. XII, 1* repetendam esse his temporibus, non diffiteamur: non certe praepudicabit hoc ecclesiae nostrae, nec faciet ex plantata non-plantatam; novimus enim multitudinem verorum ecclesiae membrorum non pertinere ad ejus formam, sed adjuncta atque accidentia, potest enim augeri atque imminui, & interdum intra paucos, ut Patriarcharum tempore, consistere, manere tamen ecclesia plantata, & verum Dei plantarium. Externam vero formam multo minus abjudicare ecclesiae nostrae vel juratus etiam hostis

hostis audeat, est enim nihil aliud quam unio, qua societas externe per unius illiusque verae doctrinae confessionem, cultus divini celebrationem & Sacramentorum usurpationem colligata & copulata est, in qua, si quid hinc in desiderari posse videatur, non propterea desinit esse plantata. Quantumvis & hoc notandum, ea, quae nonnunquam inter desiderata fuerunt collocata, majori adhuc cum studio, an jure desiderentur, merito debuissent inquiri, de quo argumento a multis in abusum tracto, agendum putavit D. Spennerus in Tractatu vom Brauch und Mißbrauch der Klage über das verdorbene Christenthum; in quo ea quae hactenus diximus, asserentem habemus; ubi enim de statu Ecclesiae Corinthiacae egit, eumque descripsit, tandem ita concludit: Dieses war der Zustand der Corinthischen Kirchen / wollen wir aber sagen / daß sie damit aufgehöret hätte / eine wahre sichtbare Kirche Christi zu seyn / ob wohl so viel Glieder nicht zu der uns sichtbaren Kirche gehöreten? Das sey ferne. Der liebe Apostel nennt sie amoch c. 1, 2. Die Gemeinde Gottes zu Corintho / die Geheiligte in Christo Jesu / die berufene Heiligen / weil sie noch in dem Genuß und Gebrauch der Göttl. Gnaden-Mittel stunden / und allzeit Leute unter ihnen blieben / welche mit Ruhm solchen Titel tragen konten. & post pauca: Also bey allen solchen Stände war sie gleichwohl die Gemeinde Gottes / und also eine wahre sichtbare Kirche / & tandem verba Lutheri approbat: Darumb lasset Aergerniß / Kotten / Kezereyen und Gebrechen seyn und schaffen / was sie mögen / so allein das Wort des Ewanzgelli bey uns rein bleibt / weil wirs lieb und werth halten / so sollent wir nicht zweifeln / Christus sey bey und mit uns / wanns gleich aufs ärgste gehet. p. 77. eosque simul refutat, qui ecclesiam nostram nomine Babel traducunt & proscindunt.

§. XXVII.

Antithesin vero hic formant nobis, quicunque emendatio-

dationem unius alteriusque defectus, aut plurium in ecclesia cum plantatione confundunt: aut alias etiam odio Vaticano in eam feruntur. Sic Pontificii nostram ecclesiam pro plantanda saltem agnoscunt, idque vi hypotheseos, quae fundamentum omnis illorum doctrinae constituit, oportere ecclesiam sub uno eoque visibili capite esse collectam, reliquos coetus omnes, qui istud non agnoscant, esse extra ecclesiam. Hinc ubi de Apostolicis missionibus, ut vocantur, atque propaganda sua ecclesia cogitant, inter plantandos nos quoque recensent, & eodem ordine, quo ad gentiles convertendos utuntur, emittendos esse viros existimant: notaque sunt, quae Thomas a Jesu, Philippus Rovenius, & Alexander Ferrarius in scriptis de missionibus, consilia agitarunt: Unde Schismaticorum, imo Donatistarum nomine cum Natali Alexandro nos dehonestant. Verum redundat in eos cum foenore haec injuria: *Nostra sane ecclesia non alia est ab ecclesia vere Apostolica & Catholica, fidei consanguinitate intime juncta: Aetatum & seculorum intervalla, quibus a fide defecit ecclesia Romana, nos nec a veteri Romana fide tempore Pauli, nec a prima Apostolica & Apostolicorum ecclesia, scindunt. In nostra nihil eorum desideratur, quae Tu (Cornæum Jesuitam alloquitur) in sphaeram tuae propositionis injecisti: est illa a Christo instituta, ab Apostolis propagata: gaudet successione continua personarum in sede & doctrina, personarum & testium sc. veritatis, qui nunquam defuerunt, multi in ipsa sede Episcopali constituti: proposuit verbum Dei, omnesque nationes ad fidei & religionis unitatem adduxit: hamo verbi olim: nunc voto, invitatione, passis sinibus amplectitur: nullis infidelium ac tyrannorum machinationibus everti haecenus valuit, stetitque contra haereses, & errores immota magistra. Nihil in ejus doctrina, bonis moribus, aut rationi naturali, adversum. Affirmanti contrarium, incumbit probatio: floruit Viris sapientissimis, patribus integerrimis, doctoribus omni exceptione*

E

majo-

majoribus, qui, qua sinceri qua testes veritatis, omnes nostri fuerunt. Ita respondemus illis, verbis jamdudum a B. Dannhauero, Theologo summae laudis, scriptis, in Aristotele ex orco redivivo p. 63.

§. XXVIII.

60 Communis praeterea querela est eorum omnium, quos pro Fanaticis, aut Fanaticismi non raro sine causa suspectis declaravit Ecclesia purior, ut coetum Evangelicum pro noviter plantando habeant, atque ad diras non infrequenter delabantur: Ita non veretur primipilus Tremulae cohortis ROBERTVS BARCLAJVS scribere: *Licet in quibusdam absurdioribus dogmatibus ab ecclesia Romana se separarint Protestantēs, dolendum tamen est, quod in plerisque de ecclesia & ministerio, gravibus doctrinis, tantum ramos amputaverint; sed eandem radicem retinent, & defendunt, ex qua abusus isti processere, ita ut etiam inter eos, licet integra illa massa superstitionum, ordinum & ceremoniarum non reservetur, tamen eadem superbia, avaritia & sensualitas inveniatur ecclesias eorum & ministerium caement affi; vita, v̄s, ac virtus verae religionis inter eos multum perit, eademque ut plurimum, quae in ecclesia Romana, mors, sterilitas, siccitas, & acarpia in ministerio eorum reperitur, ita ut reipsa solum a Pontificiis forma & ceremoniis quibusdam differre videantur, cum aequae illa abfesserint a vita & virtute verae primitivae ecclesiae & pastorum ejus, ita ut de utraque, & Pontificia, & Protestante dici possit, quod solummodo habeant speciem pietatis, (plerique autem & illa carent) virtutem autem ejus non tantum abnegantes, sed inimici: Et post pauca: Sane invisantur nationes Protestantes, & nihil in vita generalium populorum apparebit a Pontificiis discriminis, sed is, qui in filiis inobedientiae regnat, utrisque dominatur, ita, ut hoc defectu reformatio solum sit in notione, minores errores tenendo, non autem in cordis reformatione, qua praesertim posita est Christianitatis vita. Adeo abjecte sentit BARCLAJVS ille sat famosus de eccle-*

Apolog.
Th. X.
p. 177.

ecclesiis protestantibus in universam, quas existimat noviter plantandas, & in longe aliam statum redigendas, satisque misere confundit ecclesiam plantatam ipsam cum accidentibus, quae hinc inde in ea se exerunt, aut exerere nonnunquam fascinatibus oculis videntur.

§. XXIX.

Ovum ovo vix similis est, quam verba illa BARCLAJI adducta conspirant cum accusationibus FRIDER. BREKLINGII, KÖMLINGII, ARNOLDI, DIPPელი, aliorumque multorum, quos eo devenisse constat, ut non saltem de defectibus hinc inde irruentibus in ecclesia conquererentur, quod, si a sinceris doctoribus fieret, ferri, imo fieri, debebat, ac poterat: verum etiam universam ecclesiae faciem velut conspuerent, atque dehonestarent turpissimis, quae excogitari poterant nominibus, Babylonis, meretricis menstruatae, Anti-Christi, seminis serpentini; verbum illi tribuunt Satanae, non Dei; *Ipsam Satanam*, scribit BREKLINGIVS, *hodie cantare, orare, concionari, docere*, SUGGESTVS OMNES *occupare, confiteri, absolvere, coenam usurpare*, & quae alia incondita & blasphema eructat, Christo triumphante pag. 72. & tamen rem omnem zeli pii titulo excusat: Furiae sunt, quas emittit calamo, cum scribit: Die heutigen Schriffgelehrten/Doctores und Weltweise Priester/haben in ihrer allerhöchsten Weisheit mit aller ihrer Vorsorge / studiren / disputiren / Predigten / Büchern / Confessionen / Kirchenordnungen / Gottesdienst / Ceremonien / absolviren / Academien / Consistorien und Consiliis, die sie bishero in ihrer eigenen Weisheit ohne Gott gehalten / nichts anders gethan / als alles gute / was Gott durch die thörichte Apostel aufgebauet / verkehrt und herunter gerisset / und hingegen dem Satan ein herrliches Babelgebau und Anti-Christenthum an dessen Stelle wieder aufgebauet: wie solches offenbahr und am Tage ist / und keiner unter ihnen / ex müsse denn gar blind und rasend seyn / verlängnen kan. & porro:

hier gebe ich nun einen weit Verständigen auf sein Gewissen zu bedencken und zu richten/ ob nicht die heutige Academische Gelart-heit und äußerliche künstliche Weltweisheit eben das mysterium Impietatis und abominatio desolationis sey/ welches Satan in der heil. Stäte und geistlichen Orden der Priester / Gott zum Verdruß gesetzt/ und dadurch er Christum mit den ganzen decreto stultitiae und mysterio pietatis aus seinen Tempelfeyr weggetrieben und ausgerottet? Gottes Wort/die That und Erfahrung beweisen es ja Sonnenklar; Superfedeo narrare reliqua ejusdem fursuris, supinam enim ignorantiam sub coeco illo convitiandi impetu occultant, & omnia in doctrina de Ecclesia fursum deorsumque miscent, ut appareat, homines male institutos & forma sanorum verborum non imbutos, spiritu vertiginis semel in transversa raptos, ea, quae non intelligunt, temere carpere, & in ea sententia pertinaciter, spretis omnibus monitionibus, perseverare.

§. XXX.

Mallemus itaque sinistris horum de nostra ecclesia judicii aut non assensum praebuisse, aut potius dissensum fuisse testatum D. D. Spenerum, cujus verba, a D. D. Schelvigio in Synopseos P. II. p. 167. allata, cum prioribus, quae supra adduximus non conspirant: Den Unterschied der Ecclesiae plantatae und plantandae betreffend/ versichere denselben/ daß zwar unsere Kirche/ was so das äußerliche Wesen und die buchstäbliche Wahrheit oder Orthodoxie anlanget/ als plantatam ansehe: aber in vielen Stücken auch als erst plantandam, wie schon vor mehreren Jahren/ dieses mein principium gewesen/ daß unser/ der Prediger/ Amt sey/ nunmehr hauptsächlich ecclesiolas in ecclesia colligere, das ist/ weil wir den grossen Hauffen/ da alles bereits in Verderben gerathen/ schwerlich mehr retten können/ daß wir aufs wenigste in denselben suchen noch zu retten/ und näher zu uns zu ziehen/ diejenige/ welche in der Gemeine
der

der Herr rühret. Sive vero plantatio denotet ecclesiae proprie, sive Synecdochice sumtae collectionem, agnoscenda est ipsi pro plantata. Posterius non negabat, universum nimirum coetum nostrum habere puram & Orthodoxam veritatis divinae praedicationem: nec itaque si haec adest, negabitur prius; adesse nimirum aut plures, aut aliquos saltem vere fideles, qui coetum Sanctum & Deo placentem constituunt. Abusus nonnulli non faciunt ecclesiam plantandam, sed crebra inspectione & visitatione, sicubi opus, emendandam, quae non est nova plantatio, sed plantationis potius factae continuatio, & propagatio, quam ipsi libenter concedimus. Neque etiam demandatum est pastori animarum, ecclesiolas in ecclesia colligere, & gregem in grege formare, sed divino mandato jubetur, gregis sui in universum, nulla ove excepta, curam gerere, vulneratas curare, debiles firmare, & ubique non desperare, neque suis laboribus, sed divinae benedictioni omnia commendare: dum enim Paulus adhuc plantat, id est, plantationem continuat, & Apollo adhuc rigat, non protinus se effectus operationum oculis exponit, ut manibus palpari possit: Christianismus enim externus, quem oculis spectamus, fallere nos non minus vehementer potest, & quis etiam cautissimus, hypocrisin latentem detegat, nisi solus ille, qui corda novit? Non itaque potest dici Ecclesia nostra funditus corrupta, imo excisa & de novo plantanda aut aedificanda in his terris, de qua re miramur itidem, D. D. Spenerum scripssisse non uno in loco *Ort werde den Bau seiner Kirchen ganz von neuen aufführen* / Vid. Glaubens-Lehre. p. 147. cum tamen alio fundamento, quam quidem verbo & Sacramentis; nec non fide in Christum, nulla vera ecclesia in his terris militans gaudere queat.

§. XXXI.

Sufficit itaque nobis reformatio ecclesiae, quam per Lutherum Numen benignissimum suscepit: Dum etiam *doctrinam* Apostolicam renovavit, renovatio simul vitae morumque omnino facta est, nec defuisse aliquid reformationi, aut plantandam adhuc esse ecclesiam *ratione vitae* asseri debet, quandoquidem nulla adhuc media potuerunt sufficientia, ad veram pietatem conciliandam hominibus reperiri, quam quidem publica verbi praedicatio, cum aliqua disciplina conjuncta; Atque haec ubi media tempore Apostolorum ecclesias plantabant atque constituiebant, non defuisse vitae impietatem, & pravissimos mores, ex ecclesia Corinthiorum supra paruit. Quodsi itaque Apostoli sanctissimi, eloquia Dei ex inspiratione divina pronunciantes, non potuerunt inhibere omnibus obstaculis, praecipue ratione morum ac vitae, neque idcirco aliquid plantationi aut reformationi illorum defuisse arguimus; quid, quaeso, causae est, cur tam crebro dicatur, Lutheri opus velut esse dimidium, multa restare adhuc ex Babylone nobiscum & quae alia? si quid hinc inde vitii lateat, quantum fieri potest, eliminetur adhuc atque tollatur: Hoc enim veri atque genuini hortulani est, non evertere hortum, in quo Zizania sunt, siquidem novis saltem Zizaniis praerberetur materia, sed quantum in ipso est, auferre illa cum circumspectione; Atque hoc faciendum est ministris ecclesiae precibus, studio, vigilantia ac debito justoque, non intempestivo fervore; magistrati cura debita, atque praemiis & poenis disciplina stabilita, reliquis omnibus, quibus fieri par est, modis obsequio cumprimis, ac Numinis invocatione, fideque in muneris partibus exhibita: Quae averruncari non possunt, aut eradicari, supremo animarum Pastori committenda, neque ideo ecclesia ipsa erat aeculanda: aut etiam media plus nociva, quam emolumenti adferentia; imo praxi ecclesiae plane adversa excogitanda. Finimus verbis Augustini gravissimis: *Sicut sunt pastores boni & mali: sic etiam in ipsis gregibus sunt boni & mali: Nobis Princeps pastorum imperavit congregationem, sibi autem servavit separationem: quia ille debet separare, qui nescit errare. Nam qui separare ante tempus, quod sibi Dominus servavit, superbi servi, facile ausi sunt, ipsi potius ab unitate catholica separati sunt. Nam schismate immundi mundum gregem unde habere potuerunt? Ut ergo in unita-*

unitate maneamus, nec offensi scandalis palearum aream Dominicam deseramus sed potius usque in finem ventilationis, frumenta perseveremus, comminutam stipulam firmo charitatis pondere toleremus, ipse Pastor noster in evangelio de Pastoribus bonis nos admonet, ut propter bona opera eorum, nec in eis ipsis nostram spem ponamus, sed eum, quibus tales illos fecit, Patrem, qui in coelis est, glorificemus! Epistola ad Feliciam CCIX.

S. N. G.


CONSPECTVS DISSERTATIONIS

- §. 1. Donatistarum secta periculosissima, §. 2. Augustinus & Milevitanus quosdam ex iis converterunt. §. 3. errores illorum hodie revocantur, §. 4. Ecclesia Corinthiorum schema ecclesiae nostrae. §. 5. Plantatae ecclesiae causa principalis Deus. §. 6. Sigillatim Pater §. 7. Filius tum ante incarnationem, §. 8. Tum post incarnationem. §. 9. Et sic competit ipsi meritum, §. 10. Directorium. §. 11. nec non influxus capitis in sua membra. §. 12. Operatio Spiritus S. §. 13. Causa ministerialis, cuius spectanda §. 14. vocatio, §. 15. & dona ministrantia, §. 16. quae ordinaria sufficiunt ad plantationem continuandum seu rigationem §. 17. media eadem utriusque §. 18. obiectum incredulum, circa quod primum Peulus versatus deinceps §. 19. Apollo. §. 20. utriusque operationem sibi ecclesia applicat, aut applicare se profitetur §. 21. Hinc constitutio alia interna alia externa, 22. secundum utramque erat ecclesia Corinthiorum plantata. §. 23. Rationes adduntur, §. 24. nec non probatio ulterior. §. 25. Applicatio ad nostram ecclesiam; Syllogismo, §. 26. Eius minor probata. §. 27. Antithesis Pontificiorum. §. 28. Antithesis Fanaticorum, sigillatim Barclaji. §. 29. Breklingii & aliorum accusationes. §. 30. An D. Speneri verba huc pertineant. §. 31. Sententia Interposita & clausula ex Augustino.

PER

PER-EXIMIO
DN. RESPONDENTI
S. P. D.
PRAESES.

Studiorum rite ac feliciter promovendorum non potestremum est subsidium exercitatio. Dimidium laboris preces constituunt, sedulitas atque industria alteram partem addunt, perficit vero *ἀσκησις* & exercitatio animum, sicut integritas & recta Deo serviendi voluntas eum ad imbibenda sacra studia praeparant. Hanc exercitationem, uti reliqua non neglexisti, Amantissime DN. KARBI, ita commendatam habuisti, ut haecenus militis strenui instar difficillima quaeque aggredi non dubitaveris, atque spem feceris haud exiguam, habituram in te patriam eum, de quo sibi gratulari possit. Patriam sane eam habes, quae tot viros in hac Academia formatos atque verae doctrinae innutritos aluit, ac sinu suo fovit, Viros in medio persecutionum aestu firmos ac imperterritos, paratosque bona, & quicquid dulce est, prae fide relinquere. Confessores hi sunt, mi KARBI, & Martyres incruenti, quorum tu exempla imposterum crebro intueri atque imitare, & depositum sinceræ doctrinae, quod accepisti, sincere conserva, inter media etiam tentamina & calamitates. Dabit vero fortassis Numen benignissimum, cujus sapientia omnem potentiam & rationem humanam longe supergreditur, ut aliquando, post hyemes antegressas atque ab aliis exantlatas, Patria tandem tum in ecclesia, tum republica ubique florentibus atque pacatis, dies suos agere possit. Istud enim est, quod tum in universum publicam de causa, tum & Tibi abs Numine immortalis ex animo precor. Scribebam d. XXVII. April. M DCC XI.





14.
2. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE

**ECCLESIA
PLANTATA,**

AD ORACVLVM PAVLINVM

I. Corinth. III, 6.

Nostrorum temporum causa instituta,

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
SEREN. PRINCIPE REGIO ET ELECT.

PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO,

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL.
ALVMN. REG. ELECT. EPHORO & h. t. FAC. SVAE
DECANO,

RESPONDENDO TVEBITVR

EX D. LVThERI CATHEDRA

D. APRIL. A. O. R. MDCCXI.

FRIDERICVS KARB, NOVISOLIENSIS HVNG.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50